

Quibus utriusq; duo similiter opposita Terræ puncta certis locis constanter affixa subjacent, vid. Fig. 9. Lit. A. quorum illud supra novam Zemblam, hoc infra Terram del Fuogo, regionibus perpetuo frigore commercia hominum hæctenus excludentibus, continetur.

II.

De Æquatore totam Sphæram mobilem referente.

§. 3. Medius inter utrumque Polum, adeoque magnus in Cælo Circulus (ICH E. Fig. 9.) ÆQUATOR inde dictus, motu situque suo communem hunc totius Sphærae motum & situm velut in compendio sistit: *Motum* quidem, non tantum quoad tractum & formam; sed & quoad quantitatem & mensuram; dum, *ut totus Æquator*, h. e. omnes trecenti sexaginta gradus, *toto motus primi tempore*, h. e. toto Die, s. viginti quatuor horis, per Horizontem similemve limitem transit; ita *quævis Æquatoris pars* v. g. una vicesima quarta (quæ facit quindecim gradus) *simili temporis diurni parte*, nempe similiter vicesimâ quartâ parte, quam dicimus *Horam*, eundem limitem transcendit.

Patet hinc, quod vice versâ Motus Primus tempori mensuram primam largiatur, Diemq; faciat integra Æquatoris revolutio; Horam verò definiat 15. graduum Æquatoris transitus. Quapropter si tempus horarium quantumcunque detur, queraturque arcus Æquatoris ipsi respondens, aut vice versâ: singulis horis imputentur 15. gradus, quaternis verò minutis horariis singuli gradus; & singulis minutis horariis 15. minuta gradus assignentur, & sic in cæteris, & habebitur quæsitum. vid. Tab. III.

§. 4. *Situm verò cælestis Sphærae situs Æquatoris refert, potissimum tribus modis: primò namque totum Cælum in longum & latum Æquator notabili caractere distinguit, ut Longitudo superficiei cælestis juxta ductum Æquatoris parallelo tractu rectâ, motui velut in occursum; Latitudo verò transversim ab Æquatore juxta tractûs in alterutrum polum utrinque conniventes, procedat.*

Deinde totam Sphæram vel Rectam, vel Obliquam, vel Parallelam